Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



chelbeckium Hist. Frisg. t. I, p. 2, instr. 1277, Purchart et fili-
us de Mospurch: et instr. 1294, Purchart Advocatus
de Mospurch: et instr. 1310, Purchardus Mosbur-
gensis Advocatus: et instr. 1313, Purchart de Mo
spurch. Circa idem tempus, scilicet ab anno 1112
usque ad annum 1122 floruit Burcardus quidam
in Carinthia, nobilissimus Princeps et Marchio. Auc-
tor vitæ Conradi I Salisburgensis Archiepiscopi c. 6
apud Bern. Pezium Anecd. t. II, ita habet: De
hoc Berchtoldo, scilicet electo Archiepiscopo Salisbur
gensi, res exigit aliqua dicere. Nos expeditati lecto-
ris satisfacere cupientes, de Moosburg hunc fuisse, fra-
trem nobilissimi Principis, Burcardi nomine, auc-
primus. Extat etiam in Archivo Civitatensi in-
strumentum Aicia viduæ Purcardi Marchionis;
quod quidem datum refertur anno 1130, sed Judicio
XV datum offendit anno 1124, apud Rubeis Mon. Aquil.
c. 63. En illud:

Vobis Conrad et Machtild ambo jugales, filie et genero
meo. Ego quidem in Dei nomine Aicia, relicta quon-
dam Purchardi Marchisi, una cum propinquo meo
Wilelmo de loco Purolo, qui professus ex nacione mea
lege vivere Baiwaria --- dono vobis quantum mihi
petinet in Regnum Italicum in primo loco et mihi
obvenit ex parte paterna vel materna, seu ex parte
viri mei Purchardi. In primo vero loco in Bai-
wena in loco, qui dicitur Antrudorff; seu et in Ca-
rintania in loco, qui dicitur Vilas, et Insnic, et in
Ostric in loco, qui dicitur Merscanswert, cum omni
juris ad ipsum predium pertinentem, et familia vel
mobilia; seu et in Comitatu Forojulii juris mei su-
perius dicti, una cum accessionibus et ingressibus su-
is, seu cum superioribus et inferioribus suis, qui
supra legitur: in integrum ab hac die vobis, quorum
supra, jugales pro superscripto Launechild trado, do,
nulli alii venditas, datas, donatas, vel traditas,
obnoxiatas, nisi vobis. --- Quidem et ad hanc con-
firmandam donacionis Cartulam accepi ego, qui su-
pra, Aicia, a vobis jam dictis Conradus et Machtild
Launechilt, manicias duas; ut hec mea donacio
inter vos, vestrisque heredibus, cartula ista omni
tempore firma et stabili permaneat, atque consistat.